Quelle: https://manuscripta.at/?ID=45
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



In fraude ecclesiae illum assistit. et honestum fecit illum. Custodivit illum ab inimicis. et a seductoribus tutavit illum. Et certamen fortem dedit illi ut vinceret. et sciret quoniam omnium potentior est sapientia. Haec venditum iustum non dereliquit. sed a peccatoribus liberavit eum. Descendit quoque cum illo in foveam. et in vinculis non dereliquit illum donec afferret illi sceptrum regni. et potentiam adversus eos qui eum deprimebant. Et mendaces ostendit. qui ~~eum~~ maculaverunt illum. Et dedit illi claritatem aeternam. dns ds nr. V. V. Sapie

O dilectus deo et hominibus. cui memoria in benedictione est. Similem fecit illum angelis sanctis. et magnificavit eum in timore inimicorum. et in verbis suis monstra placavit. Glorificavit illum in conspectu regum. et tulit illi coronam populi sui. et ostendit illi gloriam suam. In fide et lenitate ipsius sanctum fecit illum. et elegit eum ex omni carne. Audivit enim vocem ipsius. et induxit illum